1428.

In nomine domini Amen. Anno a Nativitate eiusdem Millesimoquadringentesimovigesimooctavo, Indiccione
Sexta die vero Veneris duodecima mensis Marcii, hora primarum vel quasi, Pontificatus Sanctissimi in Christo patris
ac domini nostri domini Martini divina providencia pape Quinti Anno eius undecimo, In Civitate Rathibor
Wratislaviensis diocesis, in Stuba qua domus olim Czenkonis Hytrod in platea Monialium, In mei Notarii
publici infrascripti testiumque presencia subscriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum, Constitutus
personaliter Nobilis Janko de Kuklb Armiger dicte diocesis, Omnibus melioribus via modo iure causa et
forma quibus melius potuit et debuit fecit Constituit et solempniter ordinavit Honorabilem virum Magistrum
Mathiam dictum de Nowapolonieh ecclesie Advocatum curie Consistorii Cracoviensis absentem tamquam presentem
in suum verum legittimum et indubitatum procuratorem actorem factorem negociorumque suorum gestorem et nuncium specialem
et generalem, Ita tamen quod generalitas non deroget specialitati nec econverso, in omnibus et singulis causis et causis, quam
et quas habet seu habiturus est, Coram quocumque seu quibuscumque Judice seu Judicibus delegatis vel
delegandis tam apostolicis quam ordinariis auctoritatibus et aliis quolibet datis vel dandis, deputatis vel deputandis
cum quibuscumque tam Spiritualibus quam secularibus personis, Et presertim cum quodam Honorabili viro domino
Hiegota de Poramba asserto Canonico Rathiboriensis Ecclesie dicte diocesis, Coram Venerabili viro domino Petro
de Wolffram Licenciato in decretis Archidiacono Cracoviensi Commissario a Sede apostolica specialiter deputato, de et
super quibuscumque Rebus factis et negociis, pro quibus et quarum occasione prefatum Constituentem traxit
in causam ad presenciam eiusdem supra, Dans et concedens eidem suo procuratori plenum mandatum et omnimodam potestatem
et auctoritatem ad agendum pro ipso et suo nomine defendendum et excipiendum, libellum si necesse fuerit seu libellos et alias
quascumque peticiones simplices et summarias producendum et produci videndum, litem contestandum, et iuramentum calump-
nie de veritate dicenda et falsitate vitanda ac quodlibet licitum et honestum faciendum in animam ipsius Constituentis
prestandum, et ex adverso prestari videndum et audiendum, posiciones et articulos producendum, ponique et articulari videndum, posicionibus
et articulis verbo vel in scriptis respondendum, et ex adverso responderi petendum videndum et audiendum, Testes literas privi-
legia instrumenta et quevis probaciones alia producendum, Testes partis adverse iurare videndum et audiendum, producta
quoque ex adverso ac ipsos et dicta eorum impugnandum reimpugnandum replicandum, Crimina defectus vicia excepciones
hominis vel Juris in persona ipsius opponendum obiciendum excipiendum replicandum duplicandum triplicandum, et cum iuris-
peritis quadruplicandi, allegandum concludendum et concludi, Sentencias tam interlocutorias quam diffinitivas ferri petendum
et audiendum, et ab eis et quolibet gravamine illato vel comminato appellandum et provocandum, Apostolos petendum
et recipiendum, causam appellacionis huiusmodi prosequendum, Copias quarumcumque literarum petendum, protestaciones
quoque quascumque necessarias et oportunas in Judicio et extra faciendum, Unum vel plures procuratorem seu
procuratores loco sui substituendum Substitutosque revocandum, et onus procuracionis huiusmodi iterum reassumendum
presenti nichilominus procuratorio suo mandato in suo robore duraturo, Et generaliter omnia et singula faciendum
et exercendum que in premissis necessaria fuerint et oportuna, Et que ipsemet Constituens facere posset, si
omnibus premissis personaliter interesset, Eciam si talia sint que mandatum exigant magis speciale, Promittens
michi Notario publico infrascripto vice et nomine omnium et singulorum quorum interest seu interesse poterit
quolibet in futurum solempniter stipulanti omnia et singula que per dictum ipsius procuratorem seu Substituendos
ab eo acta facta gesta vel disposita fuerint rata grata atque firma perpetuis temporibus tenere habere nec umquam
contravenire per se vel alium in Judicio vel extra, necnon Judicio sisti et Judicatum solvi, Sub omnium bonorum
suorum mobilium et immobilium obligacione et ypotheca, Super quibus omnibus et singulis prefatus Constituens sibi a
me Notario publico infrascripto fieri peciit unum vel plura publicum Instrumentum vel Instrumenta, Acta sunt hec Anno
Indiccione pontificatu die mense hora et loco quibus supra, presentibus ibidem validis viris Kyliano de Przezye, Sta-
nkone de Brzegorzolbix Armigeris dicte Wratislaviensis diocesis et aliis quampluribus testibus ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Otto de Medzrzina Clericus Cracoviensis diocesis publicus Imperiali auctoritate Notarius, predicte
procuratoris constitucioni Ratihabicioni omnibusque premissis cum testibus prenominatis interfui, Eaque sic
fieri vidi et audivi propria manu conscripsi, Et Signo et nomine meo solitis in fidem
et testimonium premissorum rogatus consignavi.

[illegible]

Magistro Johanni

prlza

6